



Lamat nobis scriptura diuina fratres dicens: **D**is q se exaltat humiliabit: et q se humiliat exaltabit. Posita doctrina de obseruanda taciturnitate:

subiungit sanctus pater humilitatis doctrinam. Et diuidit hoc capitulum septimum regule in duas partes. In prima quae ponitur ea que ad exhortationem humilitatis faciunt. In secunda describuntur duodecim gradus humilitatis. Circa primum notandum quod sanctus pater ex tribus ad humilitatis virtutem suam discipulum exhortatur. Primum quod ex eo quod omnis elatio humilitati contraria genus videtur esse superbie que ruina est omnium virtutum et totius perditionis initium. Et hoc est quod dicit (Cum hec ergo dicit ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbie) que scilicet radix est omnium malorum: quasi vellet arguere. Cum omnis elatio eo quod ad superbiam pertineat detestabilissimum vitium sit. utpote quod radix initiumque existit omnium malorum fugienda sit: introducit ad hoc exemplum prophete sanctissimi dauid dicens (quod scilicet vitium elationis se cauere indicat dicens) scilicet psalmi cxxx. (Domine non est exaltatum cor meum) sed supple humiliatum est cor meum quod est verum sacrificium deo: sed illud psalmi. Sacrificium deo spiritus tribulatus cor contritum et humiliatum deus non despicies (Nec elati sunt oculi mei) quia signum superbie exterius non ostendi: quasi diceret interiorum: et exteriorum superbiaz repulsa me (Nec ambulauimus in magnis) id est non superbiui de magnis factis vel dictis vel virtutibus (nec in mirabilibus super me) id est non affectaui quasi in mirabilibus innotescere hominibus: non quesiui aliquid supra vires meas. Unde apud imperitos iactare me sicut multi qui ex factis et dictis magis querunt gignere in populo admirationem quam edificationem: sicut symon magus voluit in mirabilibus supra se ire delectatus potentia apostolorum non iustitia voluit facere talia qualia apostoli: sed talis non esse. Sequitur (Si non humiliter) hic propheta astringit se maledicto si ita non sit. Sensus est (Si non humiliter sentiebas sed exaltaui animam meam) superbiendo iactando vel gloriando vel de me mirabilia presumendo (ita fiat retributio in animam meam) id est ita peream ego (Sicut ablactatus su-

per matrem suam) id est sicut aliquis incubens super matrem suam indigens foueri sinu matris perit si sit ablactatus. id est a lacte matris separatus: astringit se maledicto hic propheta: et ut dicit glossa. ita solemus dicere quasi de causa bene confidimus. Circa hanc partem in qua sanctus pater ad humilitatem discipulum ammonet. Notandum quod decem sunt que hanc humilitatis virtutem commendatissimam faciunt et amabilem. Primum est quod ipsa est gratissima deo. Adhuc nepe modo humilitas deo redolet et cetera bona hominis ei redolere facit: canticum. j. Euz esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Nardus propter sui paruitatem humilitatem designat: et quemadmodum species aromaticae cum in puluere rediguntur vehementius redolent sic bona hominis cum paruitate quasi communita fuerint sunt gratiora. Hieronymus. Nihil est quod nos hominibus ita gratos et deo efficiat quam si vite merito magni: humilitate sumus infirmi. Et idem beatus Isidorus hortatur ad hoc dicens: Esto paruus in oculis tuis ut sis magnus in oculis dei: tanto eris apud deum preciosior quanto fueris inter oculos tuos despectior. Hec virtus ut ait beatus dionysius in epistola ad demophilum monachum fecit dauid regem dei amicum. De quo dicit Inueni virum iuxta cor meum et ideo ecclesiastici. iij. Quanto magnus es humilia te in omnibus et coram deo inuenies gratias. Secundum est quod humilitas est fundamentum edificii spiritualis. Bernardus: Bonus fundus est humilitas in quo omne edificium spirituale crescit constructum in templo sancto in domino. Item ibidem libro de consideratione. Virtutum bonum quoddam ac stabile fundamentum humilitas. Nepe si nutet illa virtutum aggregatio non nisi ruina est. Ideo Augustinus inquit: Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis: de fundamento cogita humilitatis. Tertium est quod humilitas est radix et origo virtutum. Gregorius in moralibus: Origine virtutis humilitas est. Illa in nobis virtus veraciter pullulat quae in radice propria. id est humilitate perdurat: a qua nimis si abscinditur arefcit quia viuificantem se humorem charitatis perdit. Quartum est quod humilitas singulariter nutrit diuine dilectionis est. Crisostomus super matthaeum. Nutrix dilectionis est humilitas

Decem faciunt humilitatem commendabilem.

Prosequitur explanationem textus.

Exemplum.

Virtutum fundamentum humilitas